

liud, quàm conceptus indistinctus corporis totius, quo totum Corpus purè se sistit, ut *unum quid*, sed cum connotatione *similitudinis* aut æqualitatis ad alia plura, quæ similiter ita se habent, & talem conceptibilitatem æquè iustinent, & eatenus *idem* cum corpore sunt. Ita mineralitas in silice, tanquam Genus, est conceptibilitas silicis totius indistincta, cum connotatione similitudinis ad gemmam, & ad alia quædam silici quoad hanc conceptibilitatem similia, quæ silix purè concipitur, aut *unum ex numero* Mineralium indefinito, sicut & gemma, metallum, & alia, quodvis *unum ex eodem Numero* Mineralium indefinito constituit.

§. 8. Recurrit igitur Numerus etiam in relativâ totius Corporis suppositione purâ vel indistinctâ, non quidem numerus internus partium, sed externus rerum ipsi toti Subjecto similium, ex quarum numero (qui dicitur Genus externum) ipsum Subjectum est unum, ipsum abstractè loquendo Multitudinis illius unitatem facit: ut intelligatur Materiam Corporis neutro modo quicquam aliud esse quàm Numerum, sive Corpus absolutè spectetur, sive relativè. In ipso quidem Corpore, tanquam in altero termino relationis, Genus (internum) h. e. indistincta conceptibilitas, unitatem saltem, & sic *principium numeri*, facit, sed *participativum*, quod ipsum Numeri iura proprietates & accidentia participat, adeoque, nisi strictè loquaris, ipsum etiam Numeri nomen & essentiam tuetur. (Unitas enim æquè ac multitudo numerari potest: æquè impar est ac ternarius: æquè primus & per multiplicationem incompositus est numerus ac binarius aut ternarius.)

§. 9. At si terminum relationis utrumque simul sumas, Corpus nempe propositum, tanquam unum; & reliqua Subjecta similia, in gula tanquam una, quorum intuitu Corpus ita concipitur, ut unum ex multis, quæ similiter sunt unum, & unum, & unum &c. (Silix, gemma, plumbum, calx &c.) jam *verum Numerum Multitudinis* habes, qui conceptum Corporis & similium (silicis & reliquorum) indistinctum, adeoque Materiam ad extra spectatam, constituit. Qui numerus multitudinis, uti similiter indefinitus est, ita eodem nomine *Generis*, alio tamen significatu, venire solet. Nempe quatenus *GENUS* est *externum*, quat. ultra propositum Subjectum etiam ad alia simi-

simi-